

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quintâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LIII.

M. MICHAELE-PHILIPPO BOUVART, Professore Regio, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, Doctore Medico, Præside.

An Vestes pelliceæ sint salubres?

I.



NULLAM primævi homines callebant artem, præter eam quâ vitæ providebatur. Artem sanè simplicissimam; erant enim illis pro cibo fructus spontanei, & plantæ; pro potu rivulorum aqua; pro lecto humus. Nullis tunc induebantur vestimentis, quæ nec posceret genuinum corporis robur, aut nuditatis pudor. Fortunati dies! quibus fictitias

virtutes nundum excogitaverat morum perversitas; nulloque velata panno colebatur innocentia. Verum eheu quàm brevi evanuit ætas hæc aurea! crescente hominum numero, primigenia decrevit simplicitas. Novæ sensim irrepserunt virtutum titulo, vivendi normæ. Hinc pudor antea ignotus, à quo vestimentorum necessitas. Cum verò in rerum primordiis, infecunda hominum industria, nondum mirabiles illas procreaverat artes, quibus omnis ferè generis conficiuntur panni; foliis arborum, animaliumque spoliis utebantur. Is primus fuit sese vestiendi modus. Nostris adhuc existunt temporibus errabundæ gentes, solo lacte, caseoque vescentes, quibus domus sunt plaustra; vestimentaque, ferarum aut pecudum exuviæ. Dispar sanè nostra vivendi ratio; paucis nihilominùs ab hinc annis, animalium pellium usus apud nos invaluit. Quod quidem vestium genus, multi dederunt ostentui, quidam salubritati; quorum opinionem ut saniorem amplectimur.

I I.

CUIVIS Medico nota est transpirationis necessitas. Hâc viâ, superflui, & nocituri humoris pars longè maxima difflatur. Hinc fluidorum cursus expeditior; hinc solidorum motus vegetior; hinc constans inter omnes partes æquilibrium. Verùm hâc suppressâ vel imminutâ excretione, quæ malorum ilias! Modò sub cute retenta molecularum heterogenearum indigesta moles, cutaneos affectus, scabiem scilicet, impetigines, eresipelata; modò membrorum articulis deposita, stagnans, ac hærens, dolores rheumaticos arthriticosque pariet. Nunc viscus quodlibet adoritur; illudque obstructionibus, aut inflammationibus exitialibus objicit. Nunc in glandulas ubivis dispersas irruit, diarrhæas, dysenterias, fluores albos, catharros motura. Hæc denique communem in humorum alveum refusa, sanguinem, cæterosque humores inspissat, acrimoniâ diversi generis infestat, putredine corrompit. Frigus ergò perspirationi noxium vitent, quibus curæ est sua valetudo.

I I I.

FRIGORIS asperitatem, si quis solâ accensi ignis vi, arcere studeat; quanto sanitatis detrimento! Corporis calidiore aere circumventi universus dilatatur ambitus; quæ strinxerat frigus, repentè laxat & ampliat cutis ostia, calor. Ad peripheriam serosus humor appellit, avolat; hoc orbatus, crassior, immeabilis fit cruor, morbis tam acutis, quàm chronicis causas daturus. Nec minoris est periculi, si quis foràs prodeat, numero, crassitie, pondere vestium, veriùs onustus quam

tectus. Hujus gravatum corpus, dolorificâ laſſitudine, ad quælibet exercitia fit ineptius. Nulla ergò tuta adverſùs frigus præſidia? Habes animalium parata ſpolia, ex quibus tibi compares veſtimenta frigori impervia. Non unus eſt parandorum modus. Alia pilis orbantur, alia à pilis decus & pretium obtinent. De hiſce tantum ſermo eſt. Adeò autem ſtricta eſt in pellibus textura, ut minimos tantum, nec aquæ, nec aeri pervios habeant porulos. His ergò dum ſævit hyems, veſtiatur corpus. Quid inde boni emerget, vel leviter attendenti patet. Subtilis etenim, calidusque perſpirati humoris vapor, villoſis ſub veſtibus retentus, collectus, perpetuam, eodem gradu continuò calentem, beneficamque idcircò, corpori circumtenſam conſtituet atmoſpheram, quâ ſalutifera indeſinenter fovebitur excretio, frigoriſque graviſſima præcavebuntur incommoda. Sæviente brumâ ſuſpicicis iter? Galeris operiatur caput, pilloſis pellibus circumdetur truncus, chirotecis involvantur manus, ſaccis urſinis injiciantur crura. quânam ergò parte, tam bene galeatum te laceſſet frigus? Illud non aliâ ratione avertunt regionum hyperborearum incolæ. Militiæ aſcriptus, dura, ſed honorifica martis vexilla generoſè ſequeris; quot & quanta capiti tuo mala imminent! ſive à ventorum borealium gelidis afflatibus, ſive ab imbribus denſiſſimis, ſeu denique à frigidis halitibus terræ, quam ſuper eheu! ſæpiſſimè fracta labore membra, ſomno reficienda, reponere funeſta cogit neceſſitas. Vis peſſimam hanc in meliorem mutare ſortem? pelles indue. Hæc viros fortes ac bellicoſos decent veſtimenta. Sic hercules olim leonis exuviis erat amictus. Sic ultimo bello vidimus gallicos Heroës, Rege imperante, invictos, pelliceis indutos veſtimentis.

I V.

NEC viris tantum utilia exiſtimes veſtimenta pellicea. Qui enim pars eſt generis humani ſuavior, ſexus amabilis, etſi virorum pectoribus ardentes incutere flammas ſit habilis; non ideò gerit in ſe, unde propriâ virtute, frigoris externi arceat incommoda. Quæ quidem eo majora ſunt, ac frequentiora in tenero hoc ſexu, quod, cum ſint in illo fibræ tenuiores, & ſenſûs exquiſitioris, multò vividiùs ab externis afficiatur. Animalium ergo pellibus, totâ hyeme, obtegantur mulieres. His involutæ manus earum, candidæ, delicatulæque ſerventur. His palliolorum nomine operiantur humeri, ne frigoris immitis vi, pectoris nivei contracta cutis, rugoſa fiat, & aſpera. O utinam veſtium pellicearum utilitatem, frequentiori didicerint experientiâ, mulieres! Quot menſtruorum ſuppreſſiones, hyſtericæ paſſiones, ſterilitates, chloroſes præverterentur. Nondumne pellicearum veſtium demonſtrata ſunt commoda? Feliciſſimos interroges

practicos. Illi non in ſtatu ſano tantum has commendant, at in morbis quibuſdam, veluti prophilactica præſcribunt remedia. Sic in cephalalgiâ pertinaci, talpæ cutim; in dolore rheumatico, leporis; in paralyſi, felis feræ pelles, partibus affectis applicari ſatagunt.

V.

NOSTRAM de pellicearum veſtium utilitate ſententiam, frequens ac feliciſſimus, jamjam confirmavit uſus. Quid ergo concluſioni noſtræ obſtat? An iſtud vulgi imperiti tritum? Mulierum ſcilicet candidam ac lævem cutem, villoſis deturpari palliolis, rubore ingrato, & papulis dehoneſtari. Quaſi vero in palliolos hoſce, non verò in ipſum frigus imprudenter admiſſum, objecta refundi deberent incommoda. Forte ſic inſurgent quidam: cunctis ſalubria prædicas veſtimenta, quæ temperamentis calidis officiunt. Ea enim, excretionem jam ſatis largam adaugendo, ſeroſâ ſanguinis parte orbas, morbiſque inflammatoriis præbes occaſionem. Hoc quàm nihili ſit, quis non percipiat? Veſtes pelliceæ nihil intùs addunt corpori, unde velocior exurgat liquorum motus, at removent humoribus ad peripheriam appellentibus impedimenta. Prætereà quo copioſior eſt in calidis perſpiratio, eò pluris intereſt ne impediatur. Omiſſis aliis id genus difficultatibus, ne nugis immorari videamur, concludimus.

Ergò Veſtes pelliceæ ſunt ſalubres.

Proponebat Pariſiis JOANNES-LUDOVICUS-MARIA SOLIER, Aurelius, Doctor Medicus Remenſis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Author, A. R. S. H. 1753, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1753.